Przybytowski Car. Stanisl. Corymbion philosophici honoris.

CORYMBION
PHILOSOPHICI HONORIS,
ad nova purpurascentis Veris Hilaria,
ex amœnissimis Nominis, ac Virtutum floribus,
EXCELLEN: AC ERUDITI VIRI,
D. GVILHELMI ANDREÆ ROBERTSON CRACOV:
Magisterij in Artibus & in Philosophia Doctoratûs
LICENTIATI,
DVM
In Alma Vniversitate Cracoviensi,
PER
Clarissimum, & Admodùm Reverendum Dominum,
D. M. MARTINUM BIELECKI,
PHILOSOPHIÆ DOCTOREM, COLLEGAM
MAJOREM, REGIUM, & TYLICIANUM ELOQVENTIÆ PROFESSOREM, ECCLESIARUM COLLEGIATARUM, CRACOV: S. ANNÆ. SS. OMNIUM, & TARNOVIEN: CANONICUM,
in Peraugusto DD Theologorum Lectorio,
Præsente Magnorum Hospitum, & Senatûs Academici Corona,
RITU SOLENNI,
Artium Magister, & Philosophiæ Doctor,
CREARETUR,
CONTEXTUM;
& à
M. CASIMIRO STANISLAO PRZYBYŁOWSKI,
PHILOSOPHIÆ DOCTORE, ET PROFESSORE,
in vim gratulatorij Plausûs,
vivis Anagrammatum, Epigrammatumq; Coloribus
ADUMBRATUM,
Anno, quo?
Metro DeCernes eX hoC enIXe Poëta.
Pridie Cal. Maij.

CRACOVIÆ, TYPIS UNIVERSITATIS.

In Gentilitium Inſigne,

Perilluſtris, & Reverendiſſimi Domini.



Armat ſpina Roſas, vt ſic tutamen ab omni
Exhibeat noxa præſidiumq; ferat.
At ROSA TARNOVIJ Sacras dum vernat ad Aras,
Jn medio Ferri, nulla pericla timet.
Hæc igitur Divûm ſacratas ornet & armet
Ædes æternùm, quod mea Muſa vovet.

PERILLVSTRI.
ET REVERENDISSIMO DOMINO,
D. STEPHANO
á TARNOW
TARNOWSKI,
ECCLESIÆ CATHEDRALIS CRACOVIENSIS CANONICO, IN RUDAWA CURATO, &c. &c.
Domino, & Patrono Amplissimo.

NOn ex *Elysijs Campis, verùm ex amœnissima D. Iagelonis Hesperia, vernans Virtutum, ac Eruditionis Corymbion, Principi Florum* ROSÆ *Tuæ in obsequij vectigal fero.* PERILLVSTRIS & REVERENDISSIME DOMINE. *Quippe nova purpurascentis Veris Hilaria, fascesq; & coronamenta doctarum frontium, cui magìs dicari debent, quàm Tuo basilico Flori, in quem non tantùm prisci* ROSINORUM *Alcinoi omne congessêre decus, verùm etiam Archipræsuleus D.* ADALBERTI, *Murex, ex suo Virtutum & Protectionis Cognato Roseto, raras contulit gratias. Volupe erat spectare Sarmatico Phœbo etiam Arctöó sub Climate perpetuum Ver, quod Cælorum Inquilina* TARNOVIORUM ROSA, *in Poloniæ Campis, entheo Heroicæ Virtutis calore, & vigore animata exhibuit. Quot in Curulibus, vel curribus triumphalibus prudentissimos Senatores, in arduis Bellonæ negotijs, hostium Victores spectauit Lechicus Orbis, tot Roseos Scipiadas, non hac pagina, sed vastissimi etiam fasti non caperent. Quot enim Marones exposcerent,* SEBASTIANVS TARNOWSKI *Castellanus Siradiensis,* SIGISMVNDI III. *alter Ephestio:* STANISLAVS *Vladislaviensis,* PETRVS *Gostinensis, Castellani, Senatûs Poloni Oracula, Aurei Consiliorum Tripodes? Quis dignis laudum elogijs celebrârit* HIERONYMVM & MARTINVM *Pocillatores Lancicienses, Togâ, sagoq; meritissimos? Cuius Homeri non fatigarent genium, ingentia merita alterius* PETRI TARNOWSKI *Castellani Sochacoviensis qui Summis in Regno invisceratus Prosapijs, pius in Patriam Æneas, in suo Ascanio* IOANNE *Succamerario Sochacoviensi Latium Sarmaticum inclytâ Prole ampliauit & servavit. Immarcescibilis profectò* TARNOVIANÆ ROSÆ *decor etiam Divorum ad Aras, Christi bonum odorem abundè sparsit in* IOANNE

A Archi-

Archidiacono Cracoviensi, HIERONYMI *Pocillatoris Lanciciensis Filio. Sed vt termo Gratiarum impleretur in hoc augustiori Flore, addidit Divina Providentia Decus & Coronam in gemino* IOANNE, *quorum primus Præpositus Cracoviensis, Sandomiriensis, Vladislaviensis, Lanciciensis, Crusviciensis Canonicus, mox Referendarius, tandem Procancellarius Regni, & Episcopus Cuiaviensis, eò fastigij processit, vt Archiepiscopus Gnesnensis, Primas, Primusq; Princeps, non promotione modò, sed Virtute etiam vtpote Canon & Regula omnigenæ probitatis extiterit: alter in Archiepiscopali* ROXIACI *Leonis specula Tiaratus Argus pro integritate Orthodoxæ Fidei vigilaverit. Adiunxit* TARNOVIANIS *Gratijs Cælitum favor quartam, eamq; Cognatam Gratiam in Celsissimo Principe Illustrissimo & Reverendissimo* D. IOANNE de MAŁACHOWICE, MAŁACHOWSKI *Episcopo Cracoviensi, Duce Severiæ: auxit Decus & præsidium in Gentilitijs* ROSIS, *Illustrissimi & Reverendissimi* D. STANISLAI *à Słupow* SZEMBEK, *Episcopi Dionysiensis, Suffraganei Cracoviensis, Claræ Tumbæ Abbatis: vt Tu Perillustris & Reverendissime Domine, non tantùm ex Nominis etymo, sed etiam ex Virtute tot Antistitum Coronamentum haberes, & Honorum auctoramentum in Coronato Vaveli vertice possideres; pro quo in Septicolli Vrbe, Coronarum dispensatrice, non vnius Theopompi Victor, præcellenti ingenij vigore, strenuè decertâsti. Quare Philosophicum hoc* CORYMBION, *à Pallade Iagelonica Neo-Doctori paratum (quem in Augusta Sapientia Romana, singulari favore cumulaueras) Tibi Perillustris & Reverendissime Domine, dicare conueniens erat vt à Tua* GENTILITIA ROSA, *majus illi accresceret Ornamentum & patrocinium. Quod eâ mentis amœnitate receptum iri spero, quam ipse Neo-Doctor exotico sub sole à Te expertus est. Cum quo vovens* ROSÆ *Tuæ innumeras ætates, summorumq; in Ecclesia* DEI *Honorum incrementa, maneo*

Perillustris, & R̄ndissimæ D̄nationis Tuæ,

Servus Humillimus,

M. CASIMIRVS PRZYBYŁOWSKI,
P. D. & P.

ORBIS SARMATICI
PATRI PATRATO,
RERUM NOSTRARUM STATORI,
Jagelonicæ Universitatis,
PATRIARCHÆ & PATRONO,
B. JOANNI CANTIO,
Sacræ Theologiæ Doctori & Professori,
votivi cultûs hecatombe,
ex Sacro Nominis ipsius
Programmate:

BEATVS IOANNES CANTIVS

Anagramma I.
Tu nos unicâ basi teneas.

EPIGRAMMA.

GYmnasij Regni Protector, Primeq; Princeps,
Sit votô nostro prima Corona tibi.
Vnus erat Domini Præcursor, Nominis huius,
Tu Nobis alter, Dux Coryphæus ades.
Tu solus rerum nostrarum Stator, & Author;
Per cuius Nomen, laurea serta virent.
Ergo *basi teneas nos* cunctos *unicâ*, & Almæ
Sis columen Matri, nomine fulcra sonans.

Anagramma II.
Sic tu annue SEBASTIANO.

EPIGRAMMA.

Scutum Pompylio, Pallas demisit ab alto,
Eius Palladij, quòd vigil Argus erat.
Tuq; SEBASTIANO sic RECTORI *annue* nostro,
Possit vt in cælum scuta referre sua.
Magnificam ille Tibi prudenter construit Aram,
Sublimesq; tholos marmore ritè locat.
Ergo diu felix Academica Sceptra gubernet,
Promoveat Cultum, Dive Patrone Tuum.

CORY-

CORYMBION
Philosophici Honoris.
Programma Acrostichicum.

Gloria Mœonidum, Phæbi dilecta Propago,
Vatum dulce decus, Parnassi Præses Apollo,
Ingeminans plausus hodie, quo fine peropto
Laurea serta paras? quis victor fortis ad Vrbem
Hostibus expulsis redit? an per Olympia currens,
Excessit præcox alios, meruitq; Coronam
Lauru contextam? cûi nunc acroamata fundit
Musarum peramœna cohors? Iagelonis in Aula
Vnde velim hæc Echo patulas crebescit ad aures?
Sciscitor? implorans mihi tanta Oracula pande.
Attonitus capio Cyrrham secreta moventem:
Non Fabij, fortes Torquati, totq; triumphis
Dardanidæ celebres, ast post certamina victor,
ROBERTSON GVILHELMVS adest, à Gente Togata
Excipiens laurum viridem, quæ tempora cingit
Aônijs sociata choris, Phæboq; Sereno
Sacra manet. quare merito illam Nobile germen
ROBERTSONVM ambit: generosâ mente coruscans
Omne tulit punctum rigidi certaminis, Heros
Bella gerens animo, gratos referente Corymbos.
Et dum perspicuè pateat mens præscia Vatis,
Rumpo moras subitò, promptus pennâq; silenti,
Te Neo-Doctorem venerari curro libenter.
Sed vix præmeditor laudum profundere guttas,
Obruor Euripo, virtutum mersus in vndis.
Nominis ergo Tui solummodo diphtera restat,
Complectens seriem dotum (quas Cracia Pallas,
Romana atq; Tibi tribuit Sapientia) sensu
Arcano, cuius nunc flore Corymbion istud
Colligitur, fructumq; noui demonstrat Honoris
Omnibus. Hoc in vim puri Candoris, amœno
Vultu suscipias, purumq; Anagramma revolve.

IN STEMMA,
E. D. NEO-DOCTORIS.



Anagramma I.

Bellator Ursus, merè hac dignus Coronâ.

EPIGRAMMA.

MAgnanimo natura dedit diadema leoni,
Quòd sit Marte ferox, vngueq; bella movens.
Et Tuus insignis *bellator,* fortior *Ursus,*
Quando triceps, semper stat cùicunq; minax.
Vnde *merè dignus* Stellis est, *hacq; Corona,*
Quæ nunc circumdat tempora docta Tua.

Anagramma II.

Solus certando, hanc laurum Orbi geres.

EPIGRAMMA.

Certanti dabitur merces, honor, atq; Corona,
Et laurus quemvis parta labore manet.
Tu *solus* genij *certando* marte, mereris
Hanc laurum, doctâ quam modò fronte *geres.*
Hinc toti resonans, per longos Nestoris Annos,
Orbi Nomen erit, famaq; grata Tui.

Anagramma III.

Heros, sub gemina lauru, Doctor clarens.

EPIGRAMMA.

Candidius nostris animis nil suadet Apollo
Dicere nunc, *Heros*, quam Neo-Doctor ave.
Doctor ave, Nostro *clarens* Helicone refulge,
Sub gemina lauru, læta trophœa cane.
Indolis egregiæ dotes, Tibi cælitùs auctæ,
Quidni succedant optima quæq; Tibi?

Anagramma IV.

Solo ungue laboris Cathedram currens.

EPIGRAMMA.

Torpenti cuiquam Therſitæ non datur Oſtrum,
Abſq; labore poteſt ſcandere nemo thronum.
Tu quoq; non aliter, *Cathedram currens*, niſi *Solo*
Ungue laboris, adis Culmina celſa Sôphum.
Ipſe Tibi Stoæ PRINCEPS applaudit amœnè,
Quando ſub Auſpicijs dat Tibi ſerta ſuis.

Anagramma V.

O labor, lucs mentis, candor, Augur, heres!

EPIGRAMMA.

Ne quis Cymmerijs, dotes obnubilet umbris,
Sit nunquam curis, atq; labore vacans.
Nam *labor*, eſt animi *candor*, *mentis*q; ſerena
Lux, quævis genij nubila ſæva fugans,
O quàm perpetuò reſidens, hic eſt tuus *heres!*
Docte Vir; hicq; Tibi lauriger *Augur* erit.

Anagramma VI.

Ecce Argus honorandus, illuſtra Orbem.

EPIGRAMMA.

Jactat Ariſtoridem vigilantem priſca Vetuſtas,
Sed jactabundo fallitur ore ſuo.
Ecce ſubis cunctorum oculis oculatior *Argus*,
Semper *honorandus*, nocte dieq; vigil.
Ergo virtutum claris ſplendoribus, *Orbem*
Illuſtra, Muſis luxq; decuſq; mane.

Anagramma VII.

Curre bone, choris alludens, Muſa rogat.

EPIGRAMMA.

Teſtis Apollo Tui genij Novodvorſcius olim,
Dum Philomuſus eras, talia vota dicans:
O *bone* Pieridum cultor, nunc *curre* beatus,
Pro dignis meritis, præmia digna refer.
*Alludens*q; *choris*, Muſarum ſcande Cathedram,
Te petit eius apex, noſtraq; *Muſa rogat.*

Ana-

Anagrammâ VIII.

Agis vt Solon, huc recurrens ad laborem.

EPIGRAMMA.

Otia ne quis amet, cautum eſt de lege Solonis,
Quæ gravibus pænis afficienda jubet.
Sic *agis* vtq; *Solon*, *ad* magnum retro *laborem*,
Sponte *recurrens huc*, otia ſæva fugis.
Continuis ſtudijs incumbens, luce Cleanthis,
Procertò Lechicus Tu Theopompus eris.

Anagramma IX.

Heros nulli cedens, ab ortu rogas Arcum.

EPIGRAMMA.

Dexter es inventus GVILHELME *Heros* Tuo *ab Ortu*,
Non vi, ſed genio, vincere multa valens.
Gordia vinĉla Sôphum ſoluendo celeuſmata pſallis,
Et *nulli cedens*, victor vbiq; manes.
Vnde Tuis manibus, dant Muſæ plectra ſonora;
Siq; *rogas Arcum*, cedit Apollo Tibi.

Anagramma X.

Creſcas Vir magnus, honor è bello datur.

EPIGRAMMA.

Bella parant multos Athletis ſæpè triumphos,
*E bello*q; *datur*, non niſi celſus *honor*.
Palladis in Campo, certâſti pectore dextro,
Dum non vnus obex, te ſuperante ſtetit.
Ergo poſt bellum, felix, bis dicito Pæan!
Creſcas Vir Magnus, ſemper honore precor.

Anagramma XI.

En doctrina, Herculeus Vmbo, ſors larga.

EPIGRAMMA.

Huc huc Heròës, oculos reflectite veſtros,
En melior vobis, marte triumphus erit.
Vincere non ſemper ſtricto mucrone velitis,
Nam *doctrina* præit, Martia ſcuta virum.
Hæc eſt *Herculeus* ſapientibus Omnibus *Vmbo*,
Larga Tibi *ſors* eſt, qui magìs arte vales.

Anagramma XII.

Rarus genio, Corda mulcens, vltrò habes.

EPIGRAMMA.

Quis referet calamo dotes, quantas geris in Te!
Qualia dona Tibi docta Minerva dedit!
Es *rarus genio* Iuvenis, qui *Corda* Potentûm,
Mulcens eloquio, quæq; reposcis *habes.*
Iam Te non vnus, titulis decoraverat *vltrò*
Si velles, certò plura tenere potes.

Anagramma XIII.

Huc soror, linguâ ecsternâ, Orbem ludas.

EPIGRAMMA.

Quæ *soror* Aònidum, blandis resonaverit vnquam
Clariùs in Cytharis, ore loquente Tuo.
Ausonium felix quando lustraveris *Orbem,*
Huc linguâ externâ, suâvior inde venis.
Hoc idioma ferens gratum, Latiasvè loquelas,
Cêu fidibus *ludas,* vox Tua grata sonat.

Anagramma XIV.

Lusor nunc sub grato amore Lechi, ardes.

EPIGRAMMA.

Post tot felices Latij Regni vndiq; gressus,
In quibus Aònius *lusor,* & Augur eras.
Nunc tandem ad Patriam nostram rediens pede fausto,
Ardes sub grato semper *amore Lechi;*
Te vocat ad propriam DVX RADIVILLIVS Aulam,
Prosequitur meritis, atq; favore suo.

Anagramma XV.

Romae Orator dignus, cur labens Lechus?

EPIGRAMMA.

Non tam gratisonis Musæ modulamina chordis,
Orpheus, Amphion, dramata blanda canunt.
Quàm blandè *Romæ* resonasti Præsule summo
Orator Dignus, non sine laude Tua.
Curq; labens Lechus sit cæso Antistite, Craci
Vrbis; adornâsti svavia dicta rosis.

Ana-

Anagramma XVI.

Os Tullî habens, ad Coronam surge, Curre.

EPIGRAMMA.

Vidit & Alma Parens, cum Summo Sceptra Regente,
Os quòd *habens Tullî*, dulcia verba sones.
Quando perorâsti in Sacratis Ædibus ANNÆ,
Ad Christi tumulum, tristibus æthra secans.
Ergo Resurgente, *ad* pretiosam *surge Coronam*,
Curre, paratus adest Pegasus ipse tibi.

Anagramma XVII.

Hinc lugubre cor, laus adest, orna mores.

EPIGRAMMA.

Hinc procul excedat *lugubre cor*, & Niobæus
Exulet hinc mæror, *laus* Tua Doctor *adest*.
Orna igitur *mores*, gemino viridiq; Corymbo,
Prosper & ulteriùs perge favente Deo.
Omne Tibi plaudit constanter pectus amicum,
Altius vt scandas culmen honoris, ait.

Anagrâmma. XVIII.

Annulus, mitra, codecs, hos Rubro relega.

EPIGRAMMA.

Doctrinâ insigni polles, Insignia Docti;
Craciados Pallas, jure dat Alma Tibi.
Annulus en digito, manibus *codex*q; refulget,
Mitra Caput cingit, Teq; Cathedra capit.
Hos Tu sume libens, cordis *Rubro*q; *relega*,
Pro quibus, invigiles Palladis esse memor.

Anagramma XIX.

Sub luna decor, clarus honore Magister.

EPIGRAMMA.

Ambit Alexander Magnus Macedo, Orbis honores,
Cræsus divitias, Aurea ferĉla Midas
Ipse suo *clarus* contentus *honore Magister*,
*Sub lunâ*q; *decor* nullibi major ei.
Hoc felix hodie quando palmare prehendis,
Est Tibi, quo cunctos hos superare queas.

Anagramma XX.

Sub omni re dura collega noſter charus.

EPIGRAMMA.

Deſinat Euryalos, Niſos, jactare vetuſtas;
Theſea, Pirythòós, gloria priſca ſuos.
Tu nobis etiam *charus Collega*, *ſub omni*
Re dura, poſt hac *noſter* amicus eris.
Vnde Tibi gratam reddit plausûs hecatomben,
Tota Magiſtrorum candida noſtra Cohors.

Anagramma XXI.

Abrogo duras Herculi terens Columnas.

EPIGRAMMA.

Abrogo iam laudum titulos Alcmena Tuarum,
Quos ſoboles ſcripſit Gadibus vſq; Tua.
Nam ſplendoris habet plùs, Alma Academia Mater,
Dum tanto nato, gaudet amæna magis.
Qui par *Herculi* adeſt, *duras* ejuſq; *Columnas*,
Arte *terens*, vltra plùs valet, atq; notat.

Anagramma XXII.

Dum vber, Heliconas ecſornas, gratulor.

EPIGRAMMA.

Dotibus hic *vber*, *dum Heliconas* alter Apollo,
Exornas Cracios gratulor hocce Tibi.
Te Iageloniades, ſincero Corde ſalutant,
Tota Stagyritæ, dat ſua vota, cohors.
Vt Magnus Doctor clareſcas, atq; Magiſter,
Artibus ingenuis, ac probitate nitens.

Anagramma XXIII.

Ardor luſùs, Carmen hoc lege, ſonat Vrbi.

EPIGRAMMA.

Ad tantum plauſum, veloces Currite Cuncti,
Quos favor, aut fidi calcar amoris, agit.
Dignum laude Virum, *Carmen* toti *ſonat Vrbi*,
Hoc lege, quem *luſùs ardor*, amorq; trahit.
Ipſius probitas, à Cunctis plura meretur,
Laudibus ergo ſuis quiſq; coronet eum.

Ana-

Anagramma XXIV.

Chorus nomen recolat, Vrbs Regis lauda.

EPIGRAMMA.

Et cùm Pegasidum *recolat* totus *Chorus* amplè
Nomen Alumni olim mille trophœa canens
Metropolis Regni, Sedes *Regis*q; Poloni,
Vrbs Craci, Nato tota favere velis.
Adsis, tam celebrem præsens Actum magis ornes,
Lauda virtutem, gaudia corde ferens.

Anagramma XXV.

Turribus columna decora, legens horas.

EPIGRAMMA.

Si quondam fuerat dignatus honoribus Atlas,
Quòd nubes humeris gesserit, atq; Polos.
Turribus ecce Tuis erit ille *columna decora*,
Horas Saturni, legibus arte *legens*
Hinc ipsi tribui plausus ex asse tenentur,
Votaq; Craciados plurima fundat ager.

Anagramma XXVI.

Vrbi, magnus herus, stella, Corona, decor.

EPIGRAMMA.

Non plùs infletur Magnorum Roma Virorum
Nominibus, Craciæ sunt quoq; digna Togæ.
Namq; Tuus Genitor præstò cârissimus, *Vrbi*
Magnus herus, Craci *stella*, *Corona*, *decor*.
Nobilium Gentis Scotorum, Insignibus ortus,
Sidere dum trino, clarus in orbe micat.

Anagramma XXVII.

Charus Doctor, Vrbi solamen, re Galenus.

EPIGRAMMA.

Desine Phæbe Tuos fastu jactare Galenos,
Atq; Dioscorides commemorare sinas.
Nam ŁVKASZKIEVIVS, *Doctor* Podalirius alter,
Omnibus en *charus* req; *Galenus* adest.
Hic *Vrbi* Craciæ *Solamen* fert, Tibi laudem;
Illius dum ornat laurea trina Caput.

Anagramma XXVIII.

Domus celebris; larga nexu, honoratur.

EPIGRAMMA.

Tota *Domus celebris* quàm sit Tua? sangvinis atq;
Larga nimis *nexu*? scribere penna nequit.
Namq; LVBIENIECCI, PODCZASCI, totq; ligati
Fœdere, prætendunt plurima metra sibi.
Ergo sufficiat tantùm illis, quòd simul à me,
Nomen *honoratur*, Nobilitate sua.

Anagramma XXIX.

Huc subest, raro illo candore Germanus.

EPIGRAMMA.

Sunt, quos fama refert fraterno semper amore
Iunctos, vt Pollux Castore ritè nitet.
Ecce *subest* cunctis *raro huc candore* videndus,
PETRVS *Germanus*, Saxia vota colens.
Vllus in orbe fuit nunquam Tibi Carior *Illo*,
Nobile par fratrum, Nobiliorq; favor.

Anagramma XXX.

Ergo mille reduc charos artubus annos.

EPIGRAMMA.

Ergo mille reduc charos precor *artubus Annos*,
Vt Pylios vivas, & sine nube dies.
Sis Laribus splendor Patrijs, ac laus Academi,
Gloria Majorum, Nobilis atq; Domûs.
Insuper acceptum, gratumq; Corymbion à me
Sit Tibi cûi semper Candidus Arcas ero.

SUB FELICISSIMO REGIMINE,

Magnifici, Perillustris, & Reverendissimi Domini,

D. M. SEBASTIANI PISKORSKI,

V. I. Doctoris & Professoris, Ecclesiarum, Cathedralis Cracoviensis, & Collegiatæ Vielunensis CANONICI, SS. Omnium ARCHIDIACONI, Scholarum Novodvorscianarum Provisoris, Studij Almæ Vniversitatis Cracoviensis, PROCANCELLARII, & GENERALIS ac VIGILANTISSIMI RECTORIS.